

286

284

290

280

295

275

335

235

385

185

Ende

Anfang

271

quo b. Evangelista Johannes post Domini Jesu ascensionem,
quam diu in Jerusalem mansit, cottidie Missam celebravit, et
beatissimae virginis Mariae sibi in cruce commendatae sacra-
menta ministravit, quae ea cottidie devotissime accepit. Dum
enim sacramenta novae legis essent instituta et promulgata,
omnibus servanda, ipsa ea quamvis plena gratia suscepit de
manu sui proprii sacerdotis Johannis in sua parochia, quae
hic fuit. Accepit autem virgo beatissima sacramenta: 1.
propter sui humiliationem, 2. propter scandali evitationem, 3.
propter praecepti adimpletionem, 4. propter meritorum supere-
rogationem, 5. propter haeresum confutationem, qui ipsam
angelum, non hominem fuisse asserebant, 6. propter instruc-
tionem perfectorum. Singulariter tamen cottidie sacramentum
poenitentiae accepit, et sacramentum eucharistiae omni die,
ut creditur, suscepit de manu S. Johannis in hoc loco. Quam-
vis enim nullo peccato obnoxia fuerit, confessionem tamen
sacramentalem saepe fecit, non quidem accusando se de
crimine aliquo, nec recognoscendo se minus gratam de collatis
beneficiis, quae tamen confessio sanctorum est, qui vitam
sine crimine ducunt: sed confitendo meritorum insufficientiam,
quod tantam gratiam suscepit, quam nunquam de condigno
meruit, vel quam omnis creatura mereri potuerit, licet ipsa
de congruo meruerit. De hoc sacramento poenitentiae recepit
gratiam in excellenti: pro contritione quidem innocentiae
conservationem; pro confessione gratiarum actionem; pro
satisfactione supererogationem. Hoc sacramento sic sumpto
petivit muniri sacramento eucharistiae, et devote cum desiderio
ardenti accedens sumsit, propter passionem filii sui rememo-
rationem; propter devotionis virtualis exercitationem et contra
corporalem absentiam filii sui consolationem. In hoc ergo
sacro loco constituti devoti oravimus, et prostrati in terram
vestigia sanctissima deosculati sumus, et indulgentias accepi-
mus (†). Porro in ipso loco non est nunc aliqua structura, nisi
quod locus est maceria circumdatus, et in medio stat quidam
magnus lapis, habens cavaturam ferro incissam, in qua dicunt
sanctum Johannem eucharistiae vasculum reclusum habuisse.

